

ferat denique, ut attritas tot laboribus vires paucorum dierum otio reficeret. Verum quasi divinans, instare sibi omnium laborum & vitæ finem, totum illud tempus impendit excolendo piis commentationibus animo inter tirones, seque ad primam tirocinii formam senex emeritus ita composuit, ut nullam omitteret earum exercitationum, quibus ad sui mundique contemptum erudiri solent novitii. His intentum, nihilque jam præter cælestia cogitantem mors oppressit, xv. Cal. Decembris."

Adhæc non inutile forsân videbitur adjicere quæ ab auctore antiquiore Philippo scilicet Alegambe scripta sunt in Catalogo Scriptorum Societatis Jesu, sub verbo Biard :

"PETRUS BIARDUS natione Gallus, patriâ Gratianopolitanus, operarius magni zeli, atque adeò multarum palmarum, quas